Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis XII.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

ditis contra Dominum suum Territorii in tali casu bis Mandata sine Clausula de non turbando & contraveniendo Instrumento Pacis Westphalicæ decreta esse.

Thesis XI.

Præterea II. expresse cautum est *d.* §. *31.* quod Romano-Catholicorum Statuum Subditi Evangelici debeant manere ac manuteneri in possessione omnium dictis annis normativis in eorundem potestate constitutorum Templorum, hospitalium, quatenus nempe iisdem annis illa in potestate sua habuerunt; Si ergo Templa tunc in solidum & privative ipsorum Protestantium fuerunt pro Sacris suis inibi exercendis, illi quoque futuris temporibus in eorundem possessione pro Sacris suis privative in iisdem exercendis manebunt, uti & quatenus tum fuerunt, consequenter Simultaneum seu Coëxercitium Romano-Catholicæ Religionis sine manifesta Pacis Westphal. violatione, illis invitis, obtrudi nequaquam poterit.

Thesis XII.

III. Ex *dicti Art.* §. *32.* ita inferimus: Subditi Aug. Confess. addicti, qui Anno 1618. vel 1624. libero Religionis suæ Exercitio gavisi, in illius quasi possessione manuteneri, nec ulla ratione turbari, multo vero minus ea privari aut destitui debent; Turbati vel destituti autem illicò sine ulla exceptione ac mora in eum, quo dictis annis fuerunt, Statum, inque quietam possessionem Exercitii Religionis suæ Evangelicæ, quo dictis annis gavisi, plenarie restituantur. Turbari vero eos per Introductionem Simultanei seu Coëxercitii

citii Romano-Catholicæ Religionis, qui Anno 1618. vel 1624. ſolitario Evangelicæ ſuæ Religionis Exercitio in Templis ſuis quietè fruiti, indubium eſt, qui enim me invito poſſeſſionem rei meæ, quam hactenus in ſolidum poſſedi, ſaltem etiam pro parte tanquam ſibi communem ingreditur, & quamcunque mihi poſſidenti infert moleſtiam, ille me utique ſine dubio turbat in poſſeſſione mea. Extra omnem ergo controverſiam eſt, per introductum contra Statum Anni 1618. vel 1624. Simultaneum ſeu Coëxercitium Romano-Catholicæ Religionis turbatos Evangelicos in ſuis Templis, in quibus ipſi dictis annis ſolitarium ſuæ Religionis Evangelicæ Exercitium habuerunt, eoque in hæc usque tempora quietè gaviſi, plenarie ſine ulla exceptione vigore Pacis Weſtphal. reſtitui, omniaque, quæ contra clarum tenorem Pacificationis hactenus tentata & facta, caſſari & annihilari debere.

Theſis XIII.

IV. In *Art. V.* §. *23.* evidentiſſime diſpoſitum eſt, quod quodcunque publicum vel privatum hujus vel illius Religionis, ex illis, quæ Inſtrumento Pacis approbatæ fuerunt, Exercitium Anno 1618. vel 1624. alicubi palam receptum & uſitatum permiſſumque fuit, illud ibidem in eodem Statu, quo in dictis annis fuit, permaneat, cui omnino conſequens eſt, quod ſi ergo Anno 1618. vel 1624. in aliquo loco Exercitium publicum unius Religionis, v. gr. Evangelicæ, privative uſitatum fuit, Simultaneum vel Coëxercitium alterius, v. gr. Catholicæ, aut contra, vel utriusque, minime, ſalva Pace Weſtphalica, introduci queat, contra obſervantiam Anni 1618. vel 1624. quæ pro norma & Re-